

fuo exemplo, suisque cohortationibus inuitarit, studio, consilio, auctoritate, traduxerit. Sed omnium præclarissimè, ac vehementissimè ad hanc me voluntatem, optimamque benè de alijs promerendi consuetudinem incitauit verbis, atque inflammauit factis, Magister sapientissimus, æternæque salutis auctor, & largitor Christus Iesus. Hinc libentissimè feci, vt quæ ad illud opus additamenta, quod olim, ad conscientiam rectè excutiendam, & ad nostri abditas cogitationes animi, dicta, ac facta salutariter perquirenda & perpendenda, edidi, nunc adiuuante Deo confecerim, ea typis, publicæ utilitatis ac salutis causa sub nomine tamen, vestroque patrocinio Amplissimi optimique patres imprimerem. Nam, ex quo tempore, in hanc celeberrimam, & honestissimam D. Benedicti ingressus cum Societatem, nihil potius, nihil mihi antiquius fuit, quam ut in his augustis ædibus, & in hac sacra, & religiosa quasi solitudine, diuinis rebus, toto pectore inferuirem, atque in ea assiduè incumberem, quæ primum ad præpotentis Dei cultum, & venerationem conducerent: deinde ad communem hominum salutem redundarent, ne illorum more animantium, quæ prona, ventrique obedientia natura finxit, vitam penitus silentio præterirem. Verum, qua in re, operam, vel honestius, vel fructuosius collocare poteram, quam eiusmodi scriptis, viam, expeditioremque rationem fidelibus, sub oculos ponere, qua, si quibus obstringuntur, & premuntur peccatorum vinculis, quamprimum relaxentur, & exoluantur, atque tamquam filij optimo parenti reconciliati, veniam à Deo, eorumque remissionem consequantur? Quo autem, qui Christia-